

III. Sicut ordo officii divini, sic etiam, et eo magis quidem, omnis chori obligatio, successive semper, et non simul adimplenda est. Unde S. R. Congregatio (1) rescripsit, canonicos non satisfacere obligationi chori, recitando completorium tempore, quo a musicis vespere decantantur; et (2) per recitationem sextæ et nonæ tempore missæ conventualis, etiam de licentia Episcopi, non satisfieri chori obligationi, quando protrahitur servitium chori ob prolixiorum missam, ob concionem aut extraordinariam aliquam functionem.

§ 4. De modo quo officium divinum in choro fieri debet.

I. Officium divinum in choro recitandum et cantandum est *studiose pariter et devote* (3), *reverenter distincte, devoteque* (4), *non præpropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima qua decet reverentia ac religione* (5); *haud festinanter, nulla vocabula præcedenda, paulisper voce subsistendum, ubi asteriscus interponitur* (6); *postremo studium in eo conferendum, ne chori pars versiculum canere incipiat, cum pars altera versiculum suum nondum absolverit* (7).

Hi termini *studiose, devote* etc. tam internam quam externam dispositionem respicere videntur. Plures tamen censent, Ecclesiam actus internos non præcipere; et in eorum opinione modi, quibus officium fieri debet, externam tantum concernunt dispositionem. Si autem per externam dispositionem legi ecclesiasticæ satisfiat, fieri etiam potest, ut licet Ecclesiæ legi satisfiat, nullum tamen inde meritum aut præmium habeatur apud Deum, qui *intuetur cor*.

Quanta modi, quo officium recitandum est, sit obligatio, liquet ex c. c. *Dolentes* (8) ubi præcipitur *in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote*: item ex Con-

(1) 3 Ap. 1751, *Casalen*.

(2) 16 Mart. 1833, *Civitatis plebis*, et 19 Maji 1838 *Sancti Marci et Bisinianen*.

(3) Lib. III, Decretal. tit. 41, de celeb. mis. cap. IX *Dolentes*.

(4) Conc. Trid. sess. 34, cap. XII, de reform.

(5) Bened. XIV Const. *Cum semper oblatas* 19 Aug. 1744, § 23.

(6) S. R. C. 9 Julii 1864, *Sancti Jacobi de Chile*.

(7) Bened. XIV Institut. 107, § 15.

(8) Lib. III Decretal. loco cit.

cilio Tridentino (1) in quo præscribitur, ut canonici ecclesiarum cathedralium *compellantur in choro Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare*. Quales modi præcipiendi et veram et gravem obligationem important.

Hinc sequitur 1° defectus notabiles contra debitam devotionem, reverentiam, etc. in choro sub gravi cavendos esse: et 2° licet minores defectus levem tantum culpam inferant, nihilominus hujusmodi defectus, si committantur in pluribus horis ejusdem diei, cum primum simul sumpti ad notabilem pervenerint quantitatem, parere peccatum mortale, quoniam moraliter uniuntur inter se, ac continuantur ad culpam, in ordine ad totum officium ejusdem diei, et reputantur quasi eodem tempore facti (2).

II. Officium igitur divinum recitandum et cantandum est 1° *studiose*, non obiter, nec leviter, nec oscitanter, sed studio et diligentia, sicut negotium magni momenti peragitur, prout revera est officium quod divinum dicitur.

2° *Devote*, et igitur non dormiendo nec somno indulgendo; cum promptitudine ad genua flectenda, ad standum, ad canendum et alia id genus præstanda; cum modestia, quemadmodum illos decet maxime, qui ante conspectum Majestatis divinæ versantur (3); atque cum intentione et attentione debita (4). Intentioni formandæ et attentioni servandæ congruit oratio *Aperi* dicenda ante officium, quæ tamen sub officio recitando stricte non comprehenditur, cum in rubricis generalibus breviarii tit. 13-18, ubi recitanda numerantur, nulla ejus mentio habeatur.

3° *Reverenter*, sicut cæremoniale Episcoporum (5) præscribit, ut intra chorum nulla fiant colloquia, nec sint qui risu aliove incomposito, seu minus modesto actu rem divinam turbent; non qui cum cæterorum scandalo dormiant; litteras aut alias scripturas legant; sed nec libros aut ipsum breviarium aut diurnum in manibus habeant ad horas aut alias orationes privatim recitandas, sed tantum ad illas una cum choro dicendas aut cantandas; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstret, ut cum alii stant, aliquis sedeat, vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera, ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter divinis mysteriis

(1) Sess. 24, cap. XII, de reform.

(2) Ita Ceccoperius lib. II, tit. VII, n. 1.

(3) Bened. XIV Institut. 107, § V.

(4) Vid. S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 176 et 177.

(5) Lib. 1, c. V, n. 4.

atque officiis assistere, eaque toto cordis affectu admirari et contemplari videantur, ac silentium diligenter servetur.

Omnes brachia et manus honeste compositas teneant; nullus indecenter sedeat, neque stallo ejusve misericordiis inconvenienter adhæreat.

Si quis erraverit, nemo risu, vel nutu capitis, vel oculorum circumlustratione, labiorumque compressione aut fabulatione defectum socii subsannet (1); sed error, quantum potest, silentio contegatur, nisi forte faciliter et convenienter corrigi valeat, veluti si quis unum psalmum, capitulum, aut orationem pro alio cantaret, tunc ei proximus assistens errorem submissa voce indicare potest.

4° *Distincte et exacte*, omnia vocabula omnesque syllabas integre exprimendo et pronuntiando sine syncope. Qui officium recitat syncopando, mutilando, truncando, glutiendo seu absorbendo syllabas sive medias, sive ultimas, peccat graviter vel leviter juxta materiæ gravitatem, nisi id fieret involuntarie ex naturali linguæ præcipitania aut balbutie (2).

Observanda quoque sunt puncta et commata, sicut simul legentes necessario facere debent, cum alias simultanea lectio, recitatio aut cantus fiat impossibilis, et esse non possit nisi confusio, quod præcipue notandum et servandum est in longioribus antiphonis, hymnis, etc. Principium, medium et finis versuum ab omnibus in eodem latere cantantibus simul intonari simulque dimitti debent. Eandem omnino pronuntiandi formam uterque chorus teneat, nec alter celeriore, nec alter tardiore utatur vocis modulatione; omnesque studeant æquali voce et pausa (servato tamen syllabarum accentu) singula verba et singulas syllabas proferre.

Quilibet etiam sese aliorum vocibus accommodare debet 1° eundem servando tonum, ut cantus, prout præscribit Benedictus XIV (3) vocibus unisonis peragatur, et 2° non præcurrendo, nec protrahendo, sed communem servando modum. Qui vocem gravem habent, tam celeriter psallere et canere nequeunt, quam qui vocem levem et claram habent, ita ut illi his sæpius sese accommodare non valeant: unde sequitur, illos qui vocem levem habent, sese potius

(1) Scarfantonus lib. 2, tit. VI, n. 33.

(2) Ita Lucius Ferraris *Officium divinum* art. III, n. 27; S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 165; Scarfantonus lib. 2, tit. VI; n. 27 et 28.

(3) Constit. *Annus* 19 Februarii 1749, § 2.

accommodare debere illis qui vocem gravem habent, ut omnes distincte et exacte officium persolvere valeant.

5° *Non præpropere et haud festinanter*: psalmodia enim et cantu præcipite Deus non colitur, nec laudatur, sed potius vilipenditur; nam 1° nec uspiam est vel minimus terræ regulus, cui acceptum foret, suas sibi laudes eo modo decantari; 2° inde pietatis et devotionis sensa extinguuntur; et 3° populus scandalizatur (1). Hic merito applicatur: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*. Unde canonici unius chori, magna celeritate divinum officium exsolventes, etiamsi non fiat verborum omissio, non effugiunt peccatum veniale, quia sunt causa, cur sensus ejus ab alia parte percipi nequeat: et gravior erit culpa ecclesiæ præsidis, qui huic defectui non resistit, quoniam faciliter vires sumere potest, et introducere tam notabilem abscissionem et verborum corruptionem, ut in versibus psalmodiarum non proferatur nisi caput et cauda, ut ait Innocentius III (2). Admittatur per celeriore psalmodiam satisfieri, et fructus præbendæ juste recipi, sicut operarius in fine diei laboris sui mercedem juste recipit: inde tamen sequetur, in fine vitæ aliam mercedem recipiendam non esse; justus judex dicet: recepistis fructus præbendæ, recepistis mercedem vestram, nihil amplius retribuere possum, quia nihil pro me fecistis.

6° *Pausa interposita, et paulisper voce subsistendum, ubi asteriscus interponitur*: in recitatione enim horarum canonicarum pausa omnino servanda est ad asteriscum, non obstante quacumque contraria consuetudine (3). Hæc pausa non nimia, sed tantum parva esse debet; bene tamen distincta, ut pars a parte distinguatur; et æqualiter servanda ab omnibus; æque etiam longa et æque brevis in versibus brevioribus sicut in longioribus, quia eodem modo sine ulla distinctione in omnibus versibus præscribitur. Hujusmodi omissio juxta Ceccoperium (4) per se non est judicanda mortalis; peccant tamen canonici eam non facientes; et quando moderator chori videt id non servari, signum aliquod manu vel capite facere debet, ad indicandum illam faciendam esse.

7° *Studium in eo conferendum, ne chori pars versiculum canere incipiat, cum pars altera versiculum suum nondum*

(1) Wildt *Officium sive oblig. canonici* cap. VII, § 2.

(2) Serm. 2, in Conc. Lateranen. a se habito.

(3) Ita S. R. C. 9 Julii 1864, *Sancti Jacobi de Chile*.

(4) Lib. 2, tit. VI, n. 30 et 31.

*absolverit, sicut præscribit Benedictus XIV (1), ut altera pars chori versiculum psalmi subsequentem non exordiat, priusquam altera antecedentem absolverit. Nec prius psalmi una pars chori versiculum incipiat, quam ex altera præcedentes psalmi et versiculi finiantur: item Clemens XI (2) ut pars chori haud canere incipiat, cum pars altera cantum nondum absolvit, ut hac ratione populus intelligat divinas laudes, et ad pietatem ac religionem ex ipsarum cantu moveatur.* Propterea quando una pars chori non expectat finem versus alterius, sed anticipat sequentem, faciendo versuum super versus aggestionem, lethaliter delinquitur, quoniam notabiliter confunditur intellectus divinarum precum, et causatur confusio in utraque parte chori, non percipientis finem vel principium versuum alterius partis, contra choralem societatem (3).

§ 5. *Qua voce officium divinum in choro fieri debet.*

I. Officium divinum in choro dicendum est voce vocali, exacta et distincta, ut § præcedente dictum est. Sicut officium privatum vocaliter, sic eo magis officium publicum recitandum est.

Attamen qui ab uno chori latere existunt, versus sui lateris alta voce efferre tenentur, versus autem alterius lateris non vocaliter pronuntiare, sed tantum audire tenentur. Non oportet etiam, ut quis ex uno latere voces omnium alterius partis auribus percipiat, sed satis est, si pronuntiata ab uno vel a pluribus distincte intelligat (4). Qui ob alterius chori defectum vel ob strepitum aliqua ab altera parte prolata non percipit, adhuc satisfacit, nec opus est quidquam repetere, quia alioquin multi orirentur scrupuli (5). Ratio est, quia tu præstas id quod potes, nec per te stat, quin audias, atque per debitam recitationem tuæ partis et attentionem ad alteram partem, ejus orationem vel recitationem satis tibi communem facis (6).

(1) Instit. 107. § 15, et Constit. *Annus* 19 Feb. 1749.

(2) In litteris ad Episcopos Italiae 1703.

(3) Ita Ceccoperius lib. 2, tit. VI, n. 29.

(4) Scarfantonius lib. 2, tit. VII, n. 21 et 25.

(5) Lucius Ferraris *Officium divinum* art. 3, n. 28; S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 163, q. II.

(6) Lucius Ferraris ibidem.

Capitula et orationes, quæ dicuntur ab hebdomadario, lectiones aliaque quæ juxta honestam ecclesiæ consuetudinem a singulari de choro recitantur, satis est attente auscultare, quia unus in persona omnium dicit. Non tamen arguendus est, qui in breviario oculis percurrit, quæ a lectoribus dicuntur, ut ipse melius intelligat, et sensum percipiat. Intra se autem mussitare ea, quæ proferunt hebdomadarius et cantores, est potius signum ignorantiae et scrupulositatis, quam timoratae conscientiae. Quod si alicui placuerit supplere quæ auribus non percipit, id non faciat, nisi post finitum officium, ne alios perturbet (1).

Illi qui infra officium in choro parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa vel campanas, vel alia choro necessaria peragunt, item qui altaria thurificant, se parant ad missam conventualem celebrandam, etc. non tenentur omnia supplere (2); eo quod, dum aliquis occupatur in rebus ad officium pertinentibus, totus chorus pro eo suppleat. Hoc tamen limitandum est ad obligationem choralem, nam si quis ex sacro ordine ad officium sit obligatus, huic obligationi non satisfacit, et ex hoc titulo omnia per se supplere tenetur.

Similiter si quis aliquem versum rationabili de causa omittat, non peccat, nec propter hoc psalmum a capite repetere debet. Talis causa rationabilis esse potest brevis et necessaria collocutio cum aliquo, tussis impedimentum, etc. (3).

Item juxta Cæremoniale Episcoporum (4) organa pulsari possunt in vespere et matutinis, ac etiam ubi est consuetudo, in aliis horis, videlicet alternatim in hymnis et canticis, in fine cujuslibet psalmi pro repetitione antiphonæ, etc. exceptis primis versibus hymnorum et canticorum, ultimis versibus hymnorum, versu *Gloria Patri*, et versibus sub quibus genuflectendum est, qui semper a choro cantandi sunt, et a solo organo suppleri nequeunt; etiamsi versiculus immediate præcedens a choro pariter decantatus fuerit: cantata tunc strophæ, nulla facta mora, neque organi interpositione, mox subsequens a choro continuatur versus, sub quo est genuflectendum, vel caput inclinandum. Advertendum tamen est, ut, quandoque per organum figuratur aliquid cantari seu responderi

(1) Ceccoperius lib. 2, tit. VI, n. 25-27.

(2) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 143, not. 3; Lucius Ferraris *Officium div.* art. III, n. 18; Ceccoperius lib. 2, tit. VII, n. 5-8.

(3) Cuppinus. *Instructiones liturgicæ* 1778, n. 18.

(4) Lib. 1, cap. 28.

alternatim versiculis hymnorum aut canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id, quod ab organo respondendum est. Et laudabile esset, ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce clara idem cantaret: vel quis de choro suppressa voce dicat ea, quæ ab organo cantari figurantur (1): sola enim organi pulsatio non est oratio, nec attendendo simpliciter ad organum, attenditur orationi.

Adnotandum hic est, non esse in manu organistæ, sacra officia prolixo sono protrahere, ac auditores fatigare, artem suam ostendendo; sed sonum organi brevem esse debere, et parum plus perseverare cantu Gregoriano, qui silente organo fieret in choro (2).

II. Officium in choro recitandum est alta et intelligibili voce: certum enim est, non sufficere, horas tam submissa voce recitare, ut ab altera parte non audiantur nec intelligantur (3). Vox talis esse debet, ut tu audias, et audiri possis (4), ut jam supra dictum est.

Non eximitur ab alto vocis sono, qui prima fungitur dignitate, imo iste ad id magis adstrictus est, cum exemplo suo alios excitare teneatur; neque canonicus nobili genere natus: laudatur enim Rex Regum et Dominus dominantium, in cujus templo omnes dicent gloriam (5). Ex legitimo tamen impedimento debilitatis vocis excusantur canonici, alta voce psallere, modo nihilominus divinis officiis personaliter intersint (6).

III. Certum est, 1º non sufficere, officium simpliciter legere; ubique enim requiritur, ut officium cantetur, simplex autem lectio cantus dici nequit.

2º Communiter admittitur, canonicos non teneri ad cantum figuratum; ita ut, si in magnis festivitatibus contingat, hujusmodi cantum adhiberi, sufficiat assistentia cum debita cantoribus attentione (7). Quivis tamen canonicus, in hoc cantu bene instructus, cum musicis canere, et sic publicæ ac privatæ obligationi satisfacere potest.

(1) Ceccoperius lib. 2, tit. VII, n. 18.

(2) Ceccoperius ibidem n. 20.

(3) Ceccoperius ibidem n. 21-27.

(4) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 162 et 163.

(5) Ceccoperius ibidem n. 28 et 29.

(6) S. C. C. 8 Maji 1649, lib. 18 Decret. pag. 620, apud Pallottini *Canonici* § VII, n. 66.

(7) Lucius Ferraris *Canonicus* art. V, n. 48; Ceccoperius ibidem n. 19; Barbosa de canonicis cap. 34, n. 14.

3º Dubitari autem potest, num officium cantandum sit cantu Gregoriano, vel tantum psallendum sive recitandum tono uniformi seu per modum psalmodiæ, ut vulgo dicitur. Quod officium cantu Gregoriano persolvatur, est laudabilius ac Ecclesiæ favorabilius; Episcopus canonicos ad hoc hortari, non autem compellere potest (1): satis est, si canonici officium recitent alta, clara, intelligibili et distincta voce (2), observato tamen discrimine dierum solemnium a ferialibus et minus solemnibus, atque exceptis casibus sequentibus: 1º vespere in diebus dominicis et festivis cantandæ sunt, ut præscribitur in cæremoniali Episcoporum (3); 2º tertia ante missam Pontificalem solemniter cantanda est (4); 3º officium solemniter cantari debet, ubi cæremoniale hoc præscribit, ut in nativitate Domini lib. 2, cap. 14, et in matutinis tenebrarum cap. 22; 4º officium cantandum est, si Episcopus solemniter celebrare voluerit (5), aut si consuetudo aut speciale statutum exigat, ut officium cantetur (6).

IV. Cum igitur officium in quibusdam saltem casibus cantandum sit, canonici cantum Gregorianum addiscere tenentur, unusquisque enim debet nosse, quod necessarium est ad munus suum recte exequendum. Sufficiens tamen in canonico adesse dicitur peritia cantus, quando per se, juxta qualitatem sui officii, potest explere, quæ sibi incumbunt. Peccarent illi, qui tam male canunt, ut risum excitent, vel perturbationem aut fastidium causent (7).

§ 6. *De assistentia canonicorum non psallentium neque cantantium.*

An canonici non psallentes neque cantantes per solam materiale præsentiam satisfaciunt, et sic fructus suæ præbendæ ac distributiones licite percipere possunt?

(1) S. R. C. 23 Nov. 1602, *Egitanien.* 4; 7 Sept. 1658, *Vigilien*; S. C. C. 23 Feb. 1856, *Montis Politiani.* § Quod. apud Pallottini *Canonici* § VII, n. 67.

(2) S. R. C. 28 Januarii 1606, *Suessæ.*

(3) Lib. 2, cap. 3, n. 16 et 17.

(4) Cæremoniale Ep. lib. 2, cap. VIII, n. 5.

(5) S. R. C. 27 Nov. 1831, *Pisana.* 3.

(6) S. R. C. 22 Nov. 1653, *Signina.*; 15 Sept. 1753, *Casalen.* 21; 22 Maji 1841, *Derthonen.* 3; S. C. C. 12 Sept. 1829, in *Derthonen.* apud Pallottini *Canonici*, § VII, n. 71-73.

(7) Ita Scarfantonus lib. 2, tit. 1, animadv. 11-18, et tit. VII, n. 37. Vid. cap. VII, § 7.